

Non aliud fermè efficacius est pertrahendi ad iras ingenia hominum, aut ad favorem alliciendi medium, quàm jocosa conversatio. Nam si opportuno tempore & justâ quâdam temperaturâ adhibeatur, tam mirificè afficere solet, ut mentem curis & ægritudine lassam gratâ delectatione perfundat non tantùm, sed etiam jocantis amorem in conversantium animis conservet. Si autem è contrario non debito modo falsi sint sales, sed vel immoderatè lascivi atq; scurriles, vel plus justo mordaces, dici vix potest, quàm exosam & acrem sui memoriam relinquant. Itaq; inquirètes in Urbanitatis naturam ac modum, eò minùs ludemus operam, quò majora sunt commoda, quibus modestos ejus cultores beat hæc jocosa conversationis moderatrix.

II. Nomen Urbanitatis ipsum quod attinet, ab *Urbe* procul dubio descendit, sicuti oppositum ejus rusticitas à *rure* denominationem accepit. Uti enim urbes ipsæ nitore ac elegantia pagos ac rustica loca multis parasangis superant; ita & mores sequi solent loci ingenium, ac pro ejusdem differentiâ mirum in modum variant. Nec enim tam urbanè atq; compositè se gerunt, qui stivæ admoti rusticum faciunt opus, quàm qui remoti ab inconditâ turbâ civilibus studiis atq; negotiis operantur. Græci virtutem hanc *εὐτροπίας* nomine efferunt, quod nominis vel flexibilitatem ingenii, ad aliorum arbitria accommodatam, vel morum concinnitatem infert.

III. Nec verò unâ eâdemq; ratione accipi consuevit Urbanitatis vox. Mox enim *pro insitâ quâdam humana natura festi- vitate* ponitur; *mox civilitatem quandam morum significat;* *mox moralem habitum, qui in jocando ludendoq; observat me- dium,* denotat; quæ ultima significatio genuina est, & in eâ Urbanitas objectum tractationis nostræ constituit. Nam utur præterea in malam quandoq; partē, pro *scurrilitate*, accipia- tur; ea tamen *impropria & abusiva* significatio est, & à nobis hoc in loco non attenditur.

IV. Vestigantibus Urbanitatis *caussas & externa* se offerunt,